

+96, 13.d.

Orationes
Sylverstainianas

die XXVIII. Maji MDCCCLII.

hora IX. antemeridiana



in Gymnasii auditorio primae classis habendas

indicit

Carolus Theophilus Anton,

Scripturae sacrae Doctor, ac semisecularis Philos. Doct. et Artium liberal. Mag.,
Professor regius, Gymnas. Rect., Ordinis aquilae rubrae Eques, et soc. lat. Jenens.
nec non societ. Lus. sup. lit. sodal. honor., in soc. theotisc. Berol. cooptatus, ac
Tusciae Academiis literarum atque artium, Aretinae, Pistoriensi et
Mutilensi epistolarum commercio adjunctus.



Praemittitur brevis dissertatio de Sibyllis et Sibyllino oraculo
Jesum Christum praenunciante, quod in codice bibliothecae
Milichianae manu scripto reperitur.

Gorlicii,
ex officina Heinziana.

4/10
5 (1852)



Sylvesterianus

die XXVII. M. DCCCIII.

von I. J. J. J.

Die erste Ausgabe dieses Buches ist im Jahre 1711 in Amsterdam gedruckt worden. Die zweite Ausgabe ist im Jahre 1712 in Amsterdam gedruckt worden. Die dritte Ausgabe ist im Jahre 1713 in Amsterdam gedruckt worden. Die vierte Ausgabe ist im Jahre 1714 in Amsterdam gedruckt worden. Die fünfte Ausgabe ist im Jahre 1715 in Amsterdam gedruckt worden. Die sechste Ausgabe ist im Jahre 1716 in Amsterdam gedruckt worden. Die siebente Ausgabe ist im Jahre 1717 in Amsterdam gedruckt worden. Die achte Ausgabe ist im Jahre 1718 in Amsterdam gedruckt worden. Die neunte Ausgabe ist im Jahre 1719 in Amsterdam gedruckt worden. Die zehnte Ausgabe ist im Jahre 1720 in Amsterdam gedruckt worden.

Einleitung

Das Buch enthält eine Geschichte der Stadt Düsseldorf von ihrer Gründung bis zur Gegenwart. Die Geschichte ist in drei Theile getheilt. Der erste Theil enthält die Geschichte der Stadt von ihrer Gründung bis zum Jahre 1711. Der zweite Theil enthält die Geschichte der Stadt von dem Jahre 1711 bis zum Jahre 1717. Der dritte Theil enthält die Geschichte der Stadt von dem Jahre 1717 bis zur Gegenwart. Die Geschichte ist in drei Theile getheilt. Der erste Theil enthält die Geschichte der Stadt von ihrer Gründung bis zum Jahre 1711. Der zweite Theil enthält die Geschichte der Stadt von dem Jahre 1711 bis zum Jahre 1717. Der dritte Theil enthält die Geschichte der Stadt von dem Jahre 1717 bis zur Gegenwart.

Die Geschichte der Stadt Düsseldorf ist eine sehr interessante Geschichte. Sie zeigt die Entwicklung der Stadt von einer kleinen Fischerdorf zu einer der größten Städte des Rheinlandes. Die Geschichte ist in drei Theile getheilt. Der erste Theil enthält die Geschichte der Stadt von ihrer Gründung bis zum Jahre 1711. Der zweite Theil enthält die Geschichte der Stadt von dem Jahre 1711 bis zum Jahre 1717. Der dritte Theil enthält die Geschichte der Stadt von dem Jahre 1717 bis zur Gegenwart.

Die Geschichte der Stadt Düsseldorf ist eine sehr interessante Geschichte. Sie zeigt die Entwicklung der Stadt von einer kleinen Fischerdorf zu einer der größten Städte des Rheinlandes. Die Geschichte ist in drei Theile getheilt. Der erste Theil enthält die Geschichte der Stadt von ihrer Gründung bis zum Jahre 1711. Der zweite Theil enthält die Geschichte der Stadt von dem Jahre 1711 bis zum Jahre 1717. Der dritte Theil enthält die Geschichte der Stadt von dem Jahre 1717 bis zur Gegenwart.

Narrat Dionysius Halicarnasseus in Antiquitat. Rom. lib. IV. §. 192. (edit. Frid. Sylburgii, Lips. 1691. pag. 259. sqq.), venisse ad Tarquinium Superbum, ultimum Romani populi regem, mulierem quandam peregrinam, quae novem libros Sibyllina oracula continentes ei vendere voluerit. Quum vero Tarquinius nollet eos pretio, quod postulabat, emere, eam dicit abiisse et eorum tres combussisse: nec multo post sex reliquos tantidem venales obtulisse, et quum insipiens esse videretur, derisam, quod idem pretium pro paucioribus peteret, quod pro pluribus accipere non potuisset, rursus discedentem dimidium eorum igni tradidisse. Tum regem miratum mulieris consilium advocasse augures, et re narrata ex iis quaesivisse, quid faciendum sit, hos vero, quum ex signis quibusdam cognovissent, regem rem divinitus missam respuisse et magnum detrimentum eo allatum esse, quod non omnes libros emerit, mulieri quantum peteret auri numerari jussisse, et quae supersint oracula emi, deinde mulierem libros traditos diligenter asservandos commendasse atque ex hominum conspectu evolasse¹⁾, Tarquinium autem duos cives illustres elegisse, quibus adjunctis duobus famulis libros custodiendos committeret, sed alterum illorum parricidii insimulatum in bubulum culeum insutum in mare projecisse; expulsis postea regibus civitatem clarissimos viros custodiae librorum praefecisse, per totam vitam hoc munere fungentes et liberatos ab omnibus negotiis militaribus

1) Eandem rem narrat Plinius hist. nat. lib. XIII. c. 13. 27., Gellius noct. Att. I. 19., et Lactantius Div. institut. 1. 6., qui dicit, Sibyllam Cumanam attulisse hos libros ad Tarquinium priscum (quod quidem falsum esse videtur) et pretium postulasse trecentorum philippeorum (sunt aurei numi, qui originem ducebant a Philippo patre Alexandri Magni, et valuisse dicuntur pro duobus circiter aureis Gallicis, ergo decem imperialibus). Plinius dicit, tres libros Tarquinio esse venales oblatos et duobus combustis unum tantum superfuisse.

et civilibus, quibus alii eo consilio adjuncti fuerint, ut quoties libri Sibyllini inspicerentur praesentes essent, nec quidquam a Romanis tanta religione ac diligentia curatum esse, quam Sibyllina oracula, unde quid factu opus sit, cognoscerent, si seditiones vel bellorum clades aut prodigia cives angerent. Hi libri incolumes manserunt usque ad bellum Marsicum in templi Capitolini cella subterranea, inclusi arca lapidea, et a decemviris²⁾ asservati, qui decemviri sacrorum appellabantur, vel ut apud Livium (X. 8.) legimus, decemviri sacris faciundis et carminum Sibyllae ac fatorum populi Romani interpretes³⁾. Pro decem viris Sulla, qui omnes sacerdotum ordines auxit, quindecim fecit. Horum Quindecimvirorum primum magistrum collegii creavit. Capitolio anno urbis DCLXXII per sociale vel Marsicum bellum exusto hi libri simul incendio interierunt. Hinc omnia Sibyllina oracula Samo, Ilio, Erythris, per Africam ac Siciliam et Italicas colonias conquirebantur (Tacit. Annal. VI. 12.), quorum quae a sacerdotibus vera discernebantur, Augustus sub statua Apollinis in monte Palatino recondi jussit. Eorum custodes nunc simul Apollinis sacerdotes, vel Antistites Apollinares erant, quibus insigne erat cortina vel tripus Apollinaris, quem videre licet in numis. Cfr. Spanhem. de praest. et usu numism. tom. II. pag. 86. coll. 134. sqq., ubi Sibyllae, cortinae et tripodis effigies reperitur.

Sibyllinis libris apud Romanos maxima fuit auctoritas, sed quae et quot Sibyllae fuerint, ambigunt scriptores⁴⁾. Sunt qui unam tantum fuisse putent. Sic Petrus Petitus, qui de Sibylla tres libros scripsit, et inprimis testimonio Platonis utitur, quem ubicunque Sibyllae mentionem faciat, hoc nomen singulari numero adhibere dicit, ut in Phaedro (edit. Astii tom. I. pag. 164.)⁵⁾, ubi haec leguntur: ἐὼν δὴ λέγωμεν Σίβυλλάν⁶⁾ τε καὶ ἄλλους, ὅσοι μαντικῇ χρώμενοι ἐνθὲρ πολλά δὴ πολλοῖς προὔλεγον εἰς τὸ μέλλον ὀρθῶς, et in Theage, (edit. Astii tom. VIII. pag. 392.), ubi Bacis, Sibylla et Amphilytus conjuncti

2) Decemviri instituti sunt anno urbis CCCLXXXVII. ita, ut quinque Patrum, quinque plebis essent. Cfr. Liv. VI. 42.

3) Attribuuntur his ardua supercilia vocisque et vultus gravitas composita a Gellio (noct. Attic. IV. 1, 1.).

4) Bene igitur Tac. Annal. VI. 12. carmina, inquit, Sibyllae, una seu plures fuere.

5) Cfr. etiam tom. X. pag. 363. sqq., ubi multos reperis nominatos, qui de Sibyllis scripserunt.

6) Sibyllas reddidit hoc nomen Ficinus.

sunt, tres ergo singulares vates nominantur, duo viri et una femina, Sibylla. Nec minus Plutarchus in libro de Pythiae oraculis Sibyllam dicit καὶ Ἡράκλειτον, ergo Heraclito auctore, elocutam esse quae nec risum moverent (ἀγέλαστα), nec ornata, nec fucō illita (ἀμύριστα) essent. (Vid. edit. Lut. Paris 1624. tom. II. pag. 397.). Hoc ergo dicit de una, non de pluribus. Idem confirmat, dum porro dicit, ejus vocem esse non dei, sed feminae, γυναικός, rursus singulari. Neque aliud patet ex verbis Plutarchi de nominum priorum mutatione (edit. laud. II. pag. 401.), ubi dicit, sicut Alexandri Magui mater, prius Polyxena, postea Myrtale, Olympias et Stratonice dicta sit, et Eumetis Corinthia vulgo a patre Cleobule, ita etiam Herophilē, Erythris oriundam, quum vates esset, nuncupatam esse Sibyllam. Nec tamen Plutarchus sibi constat. Nam (cfr. edit. supra laudata tom. II. pag. 399.) legis apud eum: Σιβύλλαι δὲ αὐταὶ καὶ Βάκχιδες. Igitur plures Bacides et plures Sibyllas conjungit. Etiam apud Ciceronem Sibylla singulari numero saepius commemoratur, ut de nat. deor. III. 2., ubi Cottam dicentem ita inducit: quum omnis populi Romani religio in sacra et in auspicia divisa sit, tertium adjunctum sit, si quid praedictionis causa ex portentis et monstris Sibyllae (non Sibyllarum) interpretes haruspicesque monuerunt, et idem (divin. I. 18.) exempla vaticinantium per furorem haec profert, Bacidem Boeotium, Epimenidem Cretem et Sibyllam Erythraeam⁷⁾. Ita etiam divin. II. 54. dicit: Sibyllae (non Sibyllarum) versus. Et divin. I. 36. Nam terrae vis Pythiam Delphis incitabat, naturae Sibyllam. Plinius hist. nat. VII. c. 33. 33. etiam divinitatem et quandam coelitem societatem nobilissimam ex feminis in Sibylla, ex viris in Melampode apud Graecos, apud Romanos in Marcio fuisse refert. Sic eam unam fuisse declarant. Error est, si erant, qui ex verbis Plinii XXXIV. c. 5. 11. (edit. Silligii Vol. V. pag. 136.). „Equidem et Sibyllae (sc. statuas) juxta rostra esse non „miror, tres sint licet, una, quam Sextus Pacuvius Taurus aedilis plebis re- „stituit, duae, quas Marcus Messala“, conjicerent, Plinium tres statuisse Sibyllas. Nam unius tres ait fuisse statuas, quae quidem non uno eodemque tempore positae erant. Non enim dicit Sibyllarum fuisse, sed Sibyllae. Con-

7) Assentitur I. I. iis, qui duo genera divinationum esse dixerunt, unum quod particeps esset artis, alterum quod arte careret, artis esse conjectura res novas persequi, et veteres observatione didicisse, artis autem expertem esse, qui concitatione quadam animi futura praesentiat, quod somniantibus contingat et per furorem vaticinantibus, quorum exempla deinde profert.

tra Aristoteles, vid. problema XXX. (edit. Bekkeri Berol. 1831. tom. II. pag. 954.) Sibyllas et Bacides componit, ut Plutarchus, quod jam pag. 5. diximus, utrosque numero plurali conjunxit, qui adeo in saxo quodam, quod Delphis visebatur, Sibyllam primam⁸⁾ consedissee ait. Videtur vero Petito in Aristotelis verbis scriptum fuisse: *Σιβυλλα*, quod tamen in codice aliquo legi a Bekkero non commemoratur, vel esse enallage numeri, et si primae Sibyllae apud Plutarchum mentio fit, videtur primam fatidicam intellexisse, Sibyllam nomine, quam plures fatidicae sint secutae, licet non Sibyllae nominatae sint. Ita rem exposuit Petitus, ut vidi ex iis, quae in Servatii Gallaei editione Sibyllinorum oraculorum, Amstelod. 1689. pag. 3. sqq. exposita sunt. Sed si quis confert Pausaniam X. 12. (edit. Siebelisii IV. pag. 214.) ubi de eodem saxo refert, et in eo stantem oracula cecinisse dicit Herophilen, *Σιβυλλαν δὲ ἐπίκλησιν τὴν πρότερον γενομένην*, exoritur suspicio, primam Sibyllam Plutarchi esse priorem Herophilen, cognomine Sibyllam, cui Pausanias Herophilen juniorem opponit. Ergo non duas Sibyllas, sed duas Herophilas nuncupari. M. Varro vero⁹⁾, teste Lactantio divin. institut. lib. I. c. 6 pag. 43. sqq., Sibyllinos libros ait non unius fuisse Sibyllae, sed plurium feminarum, quae omnes, quia vaticinatae sint, Sibyllae sint nuncupatae, et vixisse dicit decem Sibyllas 1) primam Persicam, cujus mentionem fecerit Nicanor scriptor rerum ab Alexandro Macedone gestarum, quae nomine proprio appellata esse dicitur Sambetha, 2) Libycam, cujus meminerit Euripides in Lamiae prologo, 3) Delphicam, de qua loquatur Chrysippus de divinatione, quamque dictam esse putant Themin, Diodorus (IV. 66.) Daphnen fuisse refert, 4) Cumaeam in Italia a Naevio in libris de bello Punico et a Pisone in Annalibus commemoratam, 5) Erythraeam, quam Appollodorus Erythraeus suam dicat civem, nata quae est Lactantio teste Babylone, vaticinata Erythris, ad quam referendum esse existimant, quod Pausanias narrat X. 12. l. l., Herophilen recentiore, uxorem vel sororem vel filiam Apollinis, verbis ita de se narrare: nata sum Nympha immortalis, sed patre cetophago¹⁰⁾,

8) *τὴν πρότην Σιβυλλαν.*

9) Hunc dicit Plinius (hist. nat. lib. XXIX. c. 4. 18.) anno vitae octogesimo octavo librum scripsisse, et octogesimum primum annum aetatis agentem evulgasse libros de cultura agri, (hist. nat. lib. XVIII. c. 3. 5.). Mortuus esse fertur senex prope nonaginta annorum (cfr. Fabricii bibl. lat. lib. I. c. 7.).

10) Cetophagus est homo, quippe qui alitur cetis, quae sunt belluae marinae, i. e. cibus crassis, dum dii aluntur nectare et ambrosia.

mibi patria est rubra Marpessus, unde Erythraea ab *έρυθρός*, ruber appellata sit, totam enim terram circa Marpessum *έρπειθρον*, subrubram esse, 6) Samiam, de qua Eratosthenes in Samiorum Annalibus antiquis se plura reperisse scribit, 7) Cumanam, nomine Amaltheam, vel Demophilen vel Herophilen, quam libros Sibyllinos attulisse ad Tarquinius dicit, quod jam pag. 3. not. 1. memoravimus, 8) Hellesponticam in agro Trojano natam, quam narrat Heraclides Ponticus (libro *περὶ χρησθηρίων* auctore Clemente Alexandrino) Solonis et Cyri tempore vixisse, 9) Phrygiam vaticinatam Ancyrae, 10) Tiburtem, nomine Albuneam, quae eadem Priami et Hecubae filia Cassandra fuisse fertur, quae Tiburi colatur ut dea, juxta ripas amnis Anienis, cujus in gurgite simulacrum ejus inventum sit manu tenens librum, et cujus sortes senatus in Capitolium transtulerit. Easdem recenset Ludovicus Vives ad Augustinum de civitate dei, (edit. 1596. pag. 391. tomi V. parte 2.) Harum omnium carmina dicit Lactantius inter homines circumferri praeter Cumaeae, quae a Quindecimviris occultentur. Quae sint singulae cujusque singula carmina, discerni posse negat, solam Erythraeam nomen suum verum carmini inseruisse dicit, quae prae ceteris celebris facta sit in Asia minore. Lucio enim Fenestella auctore, qui Augusti et Tiberii tempore vixit ac de Quindecimviris scripsit, enarrat, restituto Capitolio, quod incendio combustum erat, Curionem Consulem retulisse ad senatum, ut Erythras legati mitterentur, qui carmina Sibyllae conquirerent ac deportarent. Quod ait ita factum esse. De qua re jam pag. 4. diximus. Huic Sibyllae Erythraeae etiam oraculum ex Virgilio Aen. VII. 124. sqq. notum tribuitur:

Quum te, nate, fames ignota ad litora vectum
 Accisis coget dapibus consumere mensas:
 Tum sperare domos defessus, ibique memento
 Prima locare manu molirique aggere tecta¹¹⁾.

11) Refert Dionysius Hal. lib. I. §. 34. factum esse illud oraculum (*θέσφατον*) iis vel apud Dodonam, vel Erythris in Idae viculo, ubi habitaverit Sibylla, quae jussit eos navigare occidentem versus, donec eo venirent, ubi mensas comederent (*κατεδοῦνται τὰς τραπέζας*); quo facto ducem sequendam esse quadrupedem bestiam, quae ubi fessa procubuerit, oppidum esse condendum. Tum porcā gravidam quam immolaturi fuerint, effugisse et iis locum demonstravisse, unde Alba longa ibi condita nomen duxisse fertur, quod illa sus, quae triginta enixa sit foetus, alba et foetus albi fuerint (Virg. Aen. III. 390. sqq.). Sed probabilius multi esse censent, Albam montem significare, nam urbs erat in colle, et conferunt nomen Alpium.

Haec quidem Erythraea eadem est, cui etiam, quod nos proposituri sumus, oraculum adscribi solet. Decem fuisse etiam Suidas tradit¹²⁾ (edit. Küsteri tom. III. pag. 310.) et primam, Sambetham, originem habuisse ex familia Noachi. Alii nulum Noachi fuisse referunt, et videtur eadem esse, quae a Pausania X. 12. (ed. laud. p. 218.) apud Hebraeos fuisse narratur nomine Σάββα, quod Perizonius (ad Aelian. hist. var. XII. 35.) deduxit ex שַׁבָּת, potavit, vino se ingurgitavit, ut Sabba sit divino instinctu tanquam vino inebriata, ex quo vocabulo Plutarchus (Sympos. IV. edit. laud. II. pag. 671.), qui etiam festum Judaeorum, quod nomen habet ab umbraculis e palmitibus atque edera contextis, et alia ad Judaeos pertinentia commemorat, sabbati Hebraeorum nomen deducens, sabbatum non alienum a Baccho (ἀποροσδιόνυσον) esse conjecit, ignarus quum esset verae originis nominis ex voce שַׁבָּת, quievit, cessavit. Plurium Sibyllarum mentionem quoque facit Clemens Alexandrinus Stromat. lib. I. (edit. Sylburg. pag. 323.), apud quem (pag. 333.) novem commemorantur, Samia, Colophonia, Cumana, Erythraea, Phyto, Taraxandra, Macetis, Thessala, Thesprotis, et τῶν Σιβυλλῶν τὸ πλῆθος; idem tamen saepe Sibyllam singulari numero appellat, ut Paedagog. lib. III. (ed. Sylburg. pag. 223.) Strom. lib. I. (ed. Sylb. pag. 323.) Strom. lib. V. (pag. 601. 604.), ubi etiam plura Sibyllae effata profert, sed ejus, de quo nos scribimus, non meminit.

Multa praeterea disputata sunt de explicatione originis nominis, atque de eo, utrum sit appellativum, quod quidem nonnullis videtur, quia in iis, quae pag. 5. excerpimus, Plutarchus Herophilum dicit, quod vates esset, nuncupatam esse Sibyllam. Sed obstant haec verba Plutarchi (edit. laud. II. pag. 406.): „quid vero interest, utrum dicas solam inter mulieres Sappho amori deditam, an μαντικὴν, vaticinandi peritam, solam Sibyllam et Aristonicen?“ Haec enim ita dicta sunt, ut Sibyllam et Aristonicen manifesto nomine suo, non appellativo nuncupari indicent. Potest huc etiam referri quod apud Hyginum (fab. 128.) legimus. Nam multos vates, in his quoque feminas, Manto, Tiresiae, Cassandram, Priami filiam, nominatim recensens, etiam Sibyllam Samiam, quam alii Cumaeam dixerint, nominat. Atque idem Pausanias nos docet, quum lib. X. cap. 12. ita dicit: *Φαενίς θυγάτηρ βασιλεύσαντος ἀνδρὸς ἐν Χάοσι, καὶ αἱ Πέλειαι παρὰ Λωδωναίους ἐμαντεύσαντο μὲν ἐκ θεοῦ καὶ αὐτὰ,*

12) Quatuor fuisse, sed his sex ab aliis addi, Aelianus quoque Var. hist. XII. 35. narrat.

Σίβυλλαι δὲ ὑπὸ ἀνδρώπων οὐκ ἐκλήθησαν. Quia ergo non omnes mulieres vaticinantes Sibyllae nuncupatae sunt, apparet nomen fuisse vel uni vel pluribus proprium, non appellativum. Nec tamen negari potest et Sibyllae nomen et Bacidis de pluribus vatibus, illud de feminis, hoc de viris adhibitum esse. Sic Aelianus Var. hist. XII. 35. dicit, fuisse quatuor Sibyllas et tres Bacides, Graecum, Atheniensem, Arcadem. Similiter Clemens Alex. Strom. lib. I. (ed. Sylburg. pag. 333.) haec habet: Bacides, alter Boeotius, alter Arcas. Quod igitur primum nomen proprium fuit vatis cujusdam, postea cum aliis fatidicis communicatum esse videtur. — Sed si de origine nominis quaeris, sunt qui respondeant, nomen latinae linguae esse. Sic Suidas (edit. Küsteri tom. III. pag. 311.) *Σίβυλλα Ῥωμαϊκὴ λέξις ἐστίν, ἐρμηνευομένη Προφῆτις, ἡγοῦν μάντις ὅθεν ἐνὶ ὀνόματι αἱ Θήλειαι μάντιδες ὠνομάσθησαν Σίβυλλαι*, ergo feminas fatidicas uno nomine Sibyllas dici existimat, quod falsum esse, ex Pausaniae verbis vidimus. Et licet vatem significet, tamen non sequitur, non posse esse nomen, quod uni vati proprium sit. Deducunt autem, qui latinam statuunt originem nomen a vocabulo latino sibus, i. q. callidus, prudens, acutus, quod Paulus Diaconus in excerptis ex Pompejo Festo de significatione verborum nobis servavit; cfr. Corpus grammat. latin. vett. edit. Lindemanni tom. II. pag. 148. coll. 706. et 569., ubi dicitur ortum esse ex *σοφός* pro sobus, sicuti *sispes* et *sispita* pro *sospes*, *sospita*. Reperitur etiam *persibus*, admodum acutus. Quae quidem exposita invenies in Etymologico linguae latinae Gerhardi Joannis Vossii, ab Isaaco Vossio edito, Amstelod. 1662. pag. 470., in quo etiam vitiosum: *persicus* apud Festum, voce *persibus* transmutatum est. Quodsi quis originem ex latino sermone tenere velit, deducere hoc nomen possit ex voce *sibilus*, ut *Sibylla* sit: *sibila*, quae edit sonum stridentem, quae omnino vocem edit, verba eloquitur. Dicitur vero *sibilus* et *sibilare* maxime de serpentibus, quod facile ad vatem transferri potuisse ex eo patet, quod teste Eusebio (ed. Zimmermanni pag. 1095.) *Sibylla* ex tripode vaticinabatur, cui serpens circumvolutus erat, *περὶ ὃν ὁ ὄφις εἰλεῖτο*. Hinc probabile est, *Sibyllae* vocem *sibilam* tributam esse. Est etiam serpentibus olim magna prudentia, qua vates excellunt, adscripta, sicut Gen. III. 1. jam serpens callidior omnibus bestiis dicitur, cui tanta tribuitur astutia, ut homines falleret. Nec videtur impedimento esse, quod permutata est syllabarum quantitas ita, ut *Sibylla* primam corripiat, alteram producat, *sibila* primam producat et alteram corripiat. Nam hoc in pluribus reperitur vocabulis, ut *rēgo*, *rēgina*,

lēgo, lēges, hāculus, imbēcillus, pronūba, nūbo, maledīcus, dīco, fīdes, fīdus, perfīdus, infīdus, peḡero, jūro, cognītus, nōtus, cūpīdus, cūpīdo. Caussa mutationis in eo est, quod sonus primarius ex prima syllaba in alteram transpositus est, cujus quidem rei rationem non possumus reddere. Sed etiam non patet, quae fuerit caussa, cur cūpīdo, non cūpīdo, dictum sit. Nonnulli, quod vix probandum, originem vocis quaerunt in vocabulo hebraico סַבַּל, bajulavit, portavit onus, atque interpretantur Sibyllae nomen ita, ut sit: vates deum in pectore portans, quod tamen non displicet Isaaco Vossio in Etymologico ante excitato pag. 470. Alii putant ex arabica lingua explicandum, in qua sabala (litteras arabicas typographus non habet) sit i. q. dicavit in usum religionis, quia Sibyllae deo dicatae fuerint. Alii ex arabicis verbis: sab elah ducentes exponunt: vas vel uter dei, collato hebraico סַבַּלֵּיִם Levit. XIX. 31., utres, i. e. fatidici, et Lev. XX. 27., ubi homines commemorantur, in quibus insit אֲוֵבֵי, i. e. daemon fatidicus. Sed his longe praestare videtur ratio vulgaris, qua hanc vocem ex graeco sermone repetunt, et ex σιός, i. e. θεός lingua Aeolica vel Dorica, vel secundum Hesychium Laconica, nam σίος deum appellatum esse ait a Laconibus, et ex βουλή, consilium, compositam esse judicant. Legunt etiam apud Tacitum Annal. VI. 12. nonnulli: Sibullae. Sic Lipsii editio 1627. pag. 149., sed Ernestiana editio habet: Sibyllae. Etiam nonnullos Platonis codices in Phaedro exhibere Σιβούλλαν, legimus in editione Astii tom. X. pag. 363. Est igitur Sibylla dei consilium, vel quae dei consilia prodit et eloquitur. Pro βουλή etiam βυλή dictum esse ab Aeolibus, legimus apud Lactantium div. institut. lib. I. c. 6., Sibyllam igitur esse θεοβούλην. Facilius adeo est interpretatio multorum, secundum quam Σιβύλλα idem est, quod Λιός βουλή, dorice Σιός βόλλα. Salmasii ad Solinum I. pag. 56. est opinio, esse deminutivum nominis Σίβη, aeolice pro Σίδη, malum punicum, quod est nomen filiae Danae, vid. Pausan. III. 22. 9., et Orionis uxoris, vid. Apollodor. I. 4. 3. Alii videtur Sibyllae nomen ex σιός interpretari veluti Θιβύλλαν, parvam deam. Sunt etiam, qui originem petere velint ex ἰβύειν, clamare pro ἰβύζειν, et alii, qui deducant a σίνεσθαι τὴν βουλήν, eripi consilium, ergo ab erepto furentibus consilio. Nec desunt, qui in verbo σέβω, σέβομαι colo, veneror, originem reperisse sibi videantur, quia usitata sit permutatio literae ε in ι. Essent igitur Sibyllae feminae deum colentes. Plane alia interpretatio est Perizonii (ad Aelian. Var. hist. XII. 35.), qui arbitratus, Pausaniam lib. X. c. 12. init. pro ὑπὸ τῶν Λιβύων scripsisse ἀπὸ τῶν Λιβύων, nomen Sibyllae dictum esse

censet pro : Libylla, quae venerit ex Libya. Similiter Siebelisius, quum ederet Pausaniam (vid. ejus editionem pag. 193. in annotationibus Vol. IV.) legendum proposuit: καὶ ἀπὸ τῶν Λιβύων Λιβύσσαν λέγουσιν ὀνομασθῆναι, quoniam a Suida et in scholio Platonis a Valckenario ad Theoc. Adon. pag. 346. sq. emendato scriptum est δευτέρα (sc. Sibylla) ἢ Λιβύσσα, et Hesychius dicit, Lamiam vocatam esse Libyssam. Cfr. Duris apud Suid. et in Phot. Lex. v. Λάμια et Diod. Sic. XX. 41. Denique σίω pro σείω, verbum, quod significat: agito, quatio, a nonnullis habetur pro radice nominis Sibyllae, quod cum βυλλός, quod sit idem atque plenus, conjunctum esse existimant ad eam indicandam, quae plena sit agitante et concitante spiritu. Conferri possit: mentem quatit incola Pythius Horat. Od. I. 16. 5., quatiunt truces oracula Colchos Valer. Flacc. Argonaut. I. 743. Ceterum de origine nominis vide quae Jo. Georg. Walchius in Laetantii libris a se editis Lips. 1715. ad institutt. div. lib. I. c. 6. pag. 43. et 44. congessit, et quae Servatius Gallaeus editioni suae Sibyllinorum oraculorum, Amstelodami 1689. pag. 1. seqq. in annotationibus subscripsit. Ejus disputationes de Sibyllis non vidi. Recentiore tempore etiam inventam esse putant veram Sibyllae cryptam vel antrum in monte, in quo antiqua urbs Cumae aedificata erat, quum quae vulgo apud lacum Avernum ostendebatur non sit, nisi meatus per montem a lacu Averno Bajas ducens.

His ita fusius expositis jam scriptum oraculum, quod in bibliotheca Milichiana asservatur, descriptum lectoribus proponamus. Codex, in quo illud reperitur, octonariae formae et chartaceus est, neque admodum antiquus esse videtur. Eo haec continentur: 1) Aesopi Fabulae graecae et latine, 2) Dionysii Catonis disticha, vel sententiae admonitoriae, in graecum sermonem a Maximo Planude conversae 3) septem sapientum sententiae, 4) Sibyllae versus cum aliis epigrammatis, quibus etiam quaedam aenigmata adjecta sunt, ut latinum: Est animal parvum, quod totum corrui arvom. Quo nihil pejus, si dematur (lege demitur) caput ejus, cui subest nomen: porcus. Scriptus est codex manu Nicolai Basellii Hirsaugiensis Monachi, sed non satis diligenter, quod patet ex manifestis, quae in eo deprehenduntur, vitiis. Carmini, quod jam proposituri sumus, liquore rubro haec inscriptio est:

Στίχοι σιβύλλας τῆς ἐρυθραίας περὶ τοῦ κυρίου ἡμῶν, ἔχοντες ἀκρο-
στιχίδα τήνδε· Ἰησοῦς. Χριστός. Θεοῦ. υἱός. σωτήρ. σταυρός.

Subscriptio quoque rubro liquore, quum carmen atramento scriptum sit, facta ita se habet:

Τέλος στίχον (ων) σιβύλλας τῆς ἐρυθραίας περὶ τοῦ κυρίου ἡμῶν.
 Ταῦτα ἴστω(ο)ρεὶ ὁ καισαρείας εὐσέβειος ὁ παμφίλου ἐν τῷ λόγῳ, ὃς ἐκλή-
 θη βασιλικός.

Ex quibus jam intelligi potest, codicem non magna diligentia esse scrip-
 tum. Reperimus enim o pro ω, et ω pro ο.

Oraculum hoc est:

Ἰδρώσει γὰρ χθῶν, κρίσεως σημεῖον ὅτ' ἔσται.

Ἡξει δ' οὐρανόθεν βασιλεὺς αἰῶσιν ὁ μέλλων

Σάρκα παρῶν κρῖναι πᾶσαν καὶ κόσμον ἅπαντα¹³).

Ὅψονται δὲ θεὸν μέρορες πιστοὶ καὶ ἄπιστοι.

5. Ὑψιστον μετὰ τῶν ἀγίων ἐπὶ τέρμα χρόνοιο
 Σαρκοφόρον ψυχὰς δ' ἀνθρώπων¹⁴), ἐπὶ βήματι κρινεῖ.

Χέρσος ὅτ' ἄν¹⁵) ποτε κόσμος ὅλος καὶ ἄκανθα¹⁶) γένηται,

ῥίψωσι¹⁷) εἰδῶλα βροτοὶ καὶ πλοῦτον ἅπαντα¹⁸).

Ἰχνεῦον¹⁹) ῥήξει²⁰) τε πύλας εἰρκτῆς αἰῶσος.

10. Σάρξ πᾶσα²¹) τότε νεκρῶν ἐς ἐλευθέριον φάος ἥξει.

Sudabit enim terra, iudicii signum quum erit. Veniet e coelo rex per
 aeva futurus carne praesens, ut iudicet totam, et mundum omnem. Videbunt
 deum homines fideles et infideles sublimem cum sanctis extremo tempore carne
 indutum. Animas vero hominum in tribunali iudicabit. Vastus quum aliquando
 mundus totus et vepres erunt, prouent idola mortales et divitias omnes. In-
 vestigans effringet portas carceris orci. Omnis caro tunc mortuorum ad lucem

13) Euseb. πᾶσαν κρῖναι. Sic etiam in Sibyllinis oraculis, quae edidit Ser-
 vatius Gallaeus Amstelod. 1689. pag. 726.

14) Eus. τ' ἀνθρώπων. Gallaeus edidit: ψυχὰς ἀνθρώπων βήμασι κρινῶν.

15) Gallaeus ὅταν. 16) Eus. ἄκανθα, etiam Gallaeus.

17) Eus. ῥίψωσι τ' εἰδῶλα, Gallaeus ῥίψουσι δ'. At Lactantius VII.
 19. hunc versum exhibens legit: τρίψουσι, conterent (ed. Walch. Lips. 1715. pag. 857.).

18) Ἐκκαύση δὲ τὸ πῦρ γῆν, οὐρανὸν ἠδὲ θάλασσαν. Hic versus Eu-
 sebi in nostro codice non legitur. Augustinus de civitate dei lib. XVIII. cap. 23, ubi
 hos versus latine redditos usque ad vigesimum sextum exhibet, hunc versum, et ita
 viginti septem habet. Etiam Gallaeus pag. 727. eum non omisit, sed legit ἐκκαύσει.

19) Gallaeus: ἰχνεῦον. 20) Eus. ῥήξει. Gallaeus dat φλέξει δὲ.

21) Eus. σάρξ τότε πᾶσα νεκρῶν, sed Gallaeus βροτῶν pro νεκρῶν,
 et deinde ἐπ' pro ἐς dat.

- Τοὺς ἁγίους²²), ἀνόμους τε τὸ πῦρ αἰῶσιν ἐλέγξει.
 Ὅσπασα τις πράξει²³) ἔλαθεν, τότε πάντα λαλήσει.
 Στήθεα γὰρ ζοφόμενα θεὸς φωστήησι²⁴) ἀνοίξει.
 Θρηῆος δ' ἐκ²⁵) πάντων ἔσται²⁶) καὶ βρονγὸς ὀδόντων
15. Ἐκλείψει σέλας ἡλίου²⁷), ἄστρον τε χορεύει²⁸).
 Οὐρανὸν εἰλείξει²⁹), μῆνης δὲ τε φέγγος ὀλεῖται.
 Ὑψώσει δὲ φάραγγας, ὀλεῖ δ' ὑψώματα βουνῶν.
 Ὑψος δ' οὐκέτι λυγρὸν ἐν ἀνθρώποισι φανεῖται.
 Ἴσα τ' ὄρη πεδίοις ἔσται καὶ πᾶσα θάλασσα
20. Οὐκ εἰς πλοῦν ἤξει³⁰)· γῆ γὰρ φρονχθεῖσα κεραυνῶ,
 Σὺν πηγαῖς ποταμοῖ³¹) καὶ χλάζοντες λείψουσιν³²).
 Σάλπιγξ δ' οὐρανόθεν φωνὴν πολύθρηνον ἀφήσει.
 Ὠρῶουσα μύσος μέλλον³³) καὶ πῆματα κόσμου.

liberam perveniet. Sanctos et sotes ignis per aeva probabit (vel secundum Gallaei editionem: caro mortuorum sanctorum perveniet ad lucem, sotes vero ignis cremabit)³⁴). Quaecunque aliquis clam fecit, tunc omnia eloquetur. Pectora enim tenebris involuta deus lucernis aperiet. Luctus vero omnium erit et stridor dentium. Deficiet splendor solis et astrorum saltationes. Coelum convolvit, lunae splendor peribit, exaltabit valles, destruet edita collium. Altitudo non amplius molesta inter homines conspicietur. Aequales erunt montes campis, et totum mare non amplius navigationem habebit (in navigationem veniet). Terra enim exsiccata fulmine (erit), cum fontibus fluvii strepitare cessabunt. Tuba autem e coelo vocem lamentabilem demittet deplorans scelus

- 22) Gallaeus: τῶν ἁγίων in appositione cum praecedente βροτῶν, et δὲ pro τε.
 23) Eus. πράξας, item Gallaeus. 24) Eus. et Gallaeus: φωστήησιν.
 25) Eus. τ' ἐκ. 26) Gallaeus: ἤξει pro ἔσται. 27) Eus. ἡλίου.
 28) Gallaeus ita habet: ἐκλείψει δὲ φάος σέλας ἡλίου καὶ ἄστρον.
 29) Eus. et Gall. εἰλίξει. Vales. conjicit εἰλίξεν. Supplet ἐκλείψει.
 30) Gallaeus: οὐκέτι πλοῦν ἔξει.
 31) Eus. ποταμοὶ τε. Gallaeus: δὲ. 32) Gallaeus: λείψουσι.
 33) Eus. μελεόν, rectius μέλεον, et in nota ὠρῶουσα τὸ μέλος καὶ
 τοι δὴ. Gallaeus μελέων.
 34) Si ἁγίουσ legis, videtur purgatorium indicari, sed αἰῶσιν obstat.

- Ταρταρόεν χάος δείξει ποτὲ γαῖα³⁵) χανοῦσα.
 25. Ἴξουσι³⁶) δ' ἐπὶ βῆμα θεοῦ βασιλῆες ἅπαντες.
 Ρεύσει δ' οὐρανόθεν ποταμὸς πυρὸς ἠδὲ γε³⁷) θείου.
 Σῆμα δέ τοι τότε πᾶσι βροτοῖς ἀριδίκετον³⁸), οἶον
 Τὸ ξύλον ἐν πιστοῖς τὸ κέρασ τὸ ποθοῦμενον ἔσται.
 Ἀνδρῶν εὐσεβέων ζωῆ, πρόσκομά τε³⁹) κόσμον,
 30. Ὑδασι φωτίζον⁴⁰) κλητοῦς⁴¹) ἐν δώδεκα πηγαῖς·
 Ράβδος ποιμαίνουσα σιδηρεὴ γε⁴²) κρατήσει.
 Οὗτος ὁ νῦν προγραφεῖς ἐν ἀκροστίχοις⁴³) θεός⁴⁴)
 Σωτῆρ ἡμῶν⁴⁵) ἀθάνατος βασιλεὺς ὁ παθὼν ἐνεχ' ἡμῶν.

futurum et clades mundi. Tartareum chaos demonstrabit aliquando terra dehiscens. Venient ad tribunal dei reges omnes. Manabit e coelo flumen ignis et sulphuris. Signum vero tunc omnibus mortalibus praeclarum, tanquam lignum (crux), in fidelibus cornu (κέρασ σωτηρίας Luc. I. 69. יֵשׁוּעַ קַרְן Psalm. XVIII. 3.) desideratum erit, hominum piorum vita (salus), atque offendiculum orbi terrarum, undis collustrans electos duodecim fontibus. Virga pascens ferrea regnabit. Hic qui nunc ante descriptus est acrostichide, deus servator noster, immortalis deus (est) passus nostra caussa.

Haec quidem Valesius his versibus reddidit:

Judicii signum tellus sudore madescet.

E coelo tunc rex veniet per secla futurus,

35) Eus. in nota: Ταρτάρειον δὲ χάος τότε δείξει. Ita Gallaeus.

36) Ἴξουσι Graeci vix dicebant, sed ἴξονται. Aor. ἴξεν est Iliad. XXII. 462., ἴξον Odys. III. 5. At in oraculo legendum: ἠξουσι, quod Gallaei est, quia σωτήρ, non σωτήρ dicitur. Eus. ἠξουσιν.

37) Gallaeus ἠδὲ τε.

38) Eus. ἀριδίκετον. Gallaeus ita hunc versum dat: σῆμα δὲ πᾶσι βροτοῖσι τότε, σφραγὶς ἐπίσημος, et confert Apocalypsin (vid. V. 1. 2. VI. 1. VIII. 1.).

39) Gallaeus dat δέ. 40) Gallaeus φωτίζων. 41) Eus. πιστοῦς.

42) Gallaeus: σιδηρεὶά τε. 43) Eus. ἀκροστίχοις. Gallaeus: ἀκροστίχισιν.

44) Eus. additum exhibet ἡμῶν, item Gallaeus. Metrum etiam postulat.

45) ἡμῶν hic omittit Eus. et Gallaeus.

- Scilicet ut totum praesens dijudicet orbem.
 Visurique deum infidi sunt atque fideles,
5. Sublimem in carne humana, sanctaque caterva
 Cinctum, completo qui tempore iudicet omnes.
 Horruda tunc tellus dumis silvescet acutis.
 Rejicient simulacra homines aurique metalla.
 Inferni portas facto simul impete⁴⁶⁾ rumpent
10. Squallentes manes et pura luce fruuntur.
 Tetros atque bonos index tum flamma probabit.
 Voce latens facinus quod gessit quisque loquetur;
 Subdolaque humani pendentur pectoris antra.
 Dentum stridor erit, gemitusque et luctus ubique.
15. Et sol astrorumque chorus percurrere coelum
 Insimul absistent: lunae⁴⁷⁾ quoque flamma peribit.
 Fundo cernentur valles consurgere ab imo.
 In terris nihil excelsum spectare licebit.
 Lataque planities montes aequabit: et aequor
20. Intactum rate stabit: adustaque fulmine tellus.
 Una deficiet flagrans cum fontibus amnis.
 Stridula de coelo fundet tuba flebile carmen,
 Supremum exitium lamentans, fataque mundi.
 Et subito stygium chaos apparebit hiatu:
25. Reges divinum stabunt cuncti ante tribunal.
 Undaque sulphureae descendet ab aethere flammae.
 Ac cuncti in terris homines mirabile signum
 Tunc cernent oculis, sanctis optabile signum.
 Omnibus id justis vitae est melioris origo:
30. Rursus vesani dolor atque offensio mundi:
 Collustrans undis bis seno in fonte fideles.
 Regnabit late pascentis ferrea virga.
 Unus et aeternus deus, hic servator et idem
 Xhristus, pro nobis passus quem carmina signant.

46) Vitiose legitur in Zimmermanni editione Eusebii Francoforti ad Moenum 1822, pag. 1096. impetu, et v. 5. omissum est que.

47) Vitio apud Zimmermannum pag. 1096. legitur: luna.

Exhibet hoc oraculum Eusebius in Constantini Oratione ad sanctorum coetum cap. XVIII, quae inest libro V. vitae Constantini, edit. Zimmermani pag. 1096. et 1097. Profert enim ibi testimonium de Christi divinitate ab extraneis desumptum. Sibyllam Erythraeam, quae sexta post diluvium aetate vixerit, sacerdotem Apollinis, narrat coronam capite gestantem, ut Apollinem ipsum, tripodemque, cui serpens circumvolutus fuerit, custodientem oracula dedisse interrogantibus. Hanc igitur aliquando in adyta superstitionis importunae productam et divino afflatu repletam versibus de deo futura praedixisse ita quidem, ut ordine primarum literarum versuum historiam adventus Jesu indicaret, quod genus acrostichis vocetur; existit enim, si primas literas versuum reliquis neglectis composueris et compositas legeris, hoc: *Ἰησοῦς Χριστός, Θεοῦ υἱός, σωτήρ, σταυρός*, Jesus Christus, dei filius, servator, crux. Deinde oraculo legentibus exhibito suspicari nonnullos dicit, hoc oraculum esse confictum a christiano quodam et falso Sibyllae tribui, pertinere igitur illud ad vaticinia post eventum facta. Quod quidem per errorem statui, probat ex eo, quod Cicero hoc carmen in latinam linguam transtulerit et suis operibus inseruerit. Verba ejus haec sunt: *ὠμολόγηται γὰρ Κικέρωνα ἐντετυχηκότα τῷ ποιήματι μετενεγκεῖν τε αὐτὸ εἰς τὴν Ῥωμαίων διάλεκτον καὶ συντάξαι αὐτὸ τοῖς ἑαυτοῦ συντάγμασι*. Constat, Ciceronem, quum in hoc carmen incidisset, hoc transtulisse in Romanorum dialectum, et suis operibus inseruisse. Quae verba respexisse videtur, ea in libro de divinatione II. cap. 54. reperiuntur, nec tamen quod constare dicit, confirmant. Negat enim ibi Cicero, furorem istum, quem divinum vocent, tantum auctoritatis habere, ut quae sapiens non videat, ea videat insanus, et is, qui humanos sensus amiserit, divinos sit assecutus. Tum Sibyllae versus contemplans, quos furens fudisse dicatur, non furentis esse, sed adhibentis diligentiam, ergo non insani, probat ex eo, quod qui eos composuit, callide perfecit, ut quodcumque accidisset praedictum videretur, hominum et temporum definitione sublata⁴⁸), et latebram obscuritatis

48) Quod Ciceronem non vere dixisse, jam alii animadverterunt. Nam apud Gallaeum in oraculis Sibyllinis lib. II. pag. 322. sqq. tempus definitum est, quo sit venturus ille rex immortalis toti orbi imperaturus, id quidem tempus, quo Roma Aegypto imperare coepisset, i. e. sub Augusti imperio paullo post Ciceronem, *ἐπεὶ Ῥώμη καὶ Αἰγύπτου βασιλεύσει, τότε βασιλεία μεγίστη ἀθανάτου βασιλῆος ἐπ' ἀνθρώποισι φανεῖται*. Accedit, quod Sibylla libro primo (in Gallaei edit. pag. 181. sq.) de voce per deserta locorum clamante vaticinatur, quam barbarus saltationibus

adhibuerit, ut iidem versus alio tempore in aliam rem accommodari posse viderentur, atque ipsum carmen declarare existimat, se non esse furentis, quia sit magis artis et diligentiae, quam incitationis et motus, deinceps ex primis versusum literis aliquid connectere, ut in quibusdam Ennianis, quod esse non possit nisi attentis animi⁴⁹). Atque in Sibyllinis oraculis ex primo versu cujusque sententiae primis literis illius sententiae carmen omne praetexi, quod ita explicandum esse existimamus: inde a primo versu cujusque sententiae vel oraculi ad finem usque primis literis indicari, quae sit sententia carminis. Quae ratio versus pangendi acrostichis dicitur, et ab Epicharmo inventa esse fertur. Conjecerunt igitur, Ciceronem, dum haec de Sibyllinis versibus dicit, id ipsum, quod hic ex codice manu scripto in bibliotheca Milichiana asservato edidimus, in mente habuisse oraculum, quippe in quo acrostichis insit. Sed nec hoc certo constat et ne probabile quidem est. Nam versus, de quibus Cicero verba facit, interpretis aliquis (L. Cotta quindecimvir, vid. Sueton. Jul. cap. 79.), ita putabatur explicaturus esse, ut quem re vera habeant regem, Caesarem, is etiam rex appellandus sit, si salvi esse vellent, quoniam, sicut Suetonius l. l. narrat, libris fatalibus contineretur, Parthos nisi a rege non posse vinci. Nam de rege Caesare intelligi non potest, quod de rege de coelo venturo v. 2. et 3. oraculum dicit. Multo minus nobis liquet, quo testimonio usus Eusebius dixerit, Ciceronem hos versus in latinum sermonem convertisse. Quodsi hoc fecisset, non potuisset fieri, ut Cicero Jesu Christi mentionem nullam faceret⁵⁰). Hinc versus, de quibus scribimus, Ciceroni innotuisse non possumus credere. Nec Ludovicus Vives, qui in editione Augustini ad explicanda hujus oraculi verba (de civ. dei lib. XVIII. cap. 23.) illa verba Ciceronis commemorat, de eo aliquid dicit, utrum hujus, de quo nunc dicimus, oraculi an aliorum Cicero meminerit. Res pariter incerta atque improbabilis est. Sed versusum a nobis propositorum cognitionem habuit Augustinus, qui de civ. dei lib. XVIII. cap. 23. Erythraeam

illaqueatus caesam mercedi daturus sit. Vocem Joannis mercedi dedisse Herodem filiae Herodiadis saltanti, omnibus notum est.

49) Ad haec occurrunt Ciceroni dicentes, non esse deo vates agitati difficilius, acrostichidem fundere ex tempore, quam Ennio adhibita arte et diligentia.

50) Chrestus, qui a Cicerone (epist. ad divers. II. 8.) commemoratur, compilator ignotus, minime Jesus Christus erat. Etiam Chrestus (Sueton. Claud. c. 25.) alius esse videtur, quia additum est vocabulum: impulsore, quo aliquis indicari videtur, qui tunc temporis vixit, minime igitur Christus, qui jam dudum e terra discesserat.

Sibyllam quaedam de Christo manifesta conscripsisse dicit, quae ipse lingua latina versibus male latinis legerit. Narrat enim, Flaccianum, proconsulem, multae doctrinae hominem, quum de Christo cum eo colloqueretur, protulisse sibi graecum codicem, carmina Sibyllae continentem, et ostendisse in capitibus versuum ordinem literarum, ex quo haec verba efficerentur: Ἰησοῦς Χριστὸς Θεοῦ υἱὸς σωτήρ, atque addit, viginti septem esse, in quo numero id praecipue observandum sit, quod reddat quadratum ternarium solidum⁵¹⁾, deinde versus oraculi latinis verbis redditos adjicit, sed non ita compositis, ut acrostichis latina prodeat. Neque tamen totum oraculum, quod Eusebius nobis tradit et codex nostrae bibliothecae habet, exhibet, sed tantum priores versus, qui faciunt primis literis sententiam usque ad vocabulum σωτήρ. Omissi sunt versus, quorum primis literis inest vox σταυρός. Quoniam vero versus nostri codicis usque ad eum, cujus prima litera P est, tantum viginti sex sunt, et sententia Ἰησοῦς Χριστὸς Θεοῦ υἱὸς σωτήρ etiam non nisi viginti sex literis constat, ne quis errorem latere putet in numero viginti septem, ab Augustino illustrato et praedicato, hoc explicandum est. Habet, ut jam pag. 12. not. 18. diximus, Eusebius versum nonum ἐκκάνση etc., qui in nostro codice omissus est, et, quum hujus prima litera E sit, acrostichis existit haec: Ἰησοῦς Χριστὸς Θεοῦ υἱὸς σωτήρ, cujus viginti septem numerabis literas. Pergit deinde Augustinus, si quis horum verborum primas literas in unum vocabulum conjunxerit, oriri vocem ἰχθύς, i. e. piscis; hinc factum esse, ut Christus mystice diceretur piscis, quod in hujus mortalitatis abyso velut in aquarum profunditate vivus h. e. sine peccato esse potuerit. Mirum est, quod Lud. Vives, qui in annotatis in editione Augustin. de civ. dei 1596. pag. 394. versus graecos ex Eusebii λόγῳ βασιλικῷ adjungit, illo nono omissio tantum viginti sex exhibet, ita ut graeca latinis non respondeant, praesertim quum in nova Eusebii editione viginti septem legantur. At Vives hunc ait non quidem legi in graecis, nec tamen in latina Augustini versione esse subditicium, quia ipse numerum viginti septem versuum indicet. Ceterum translatio latina, quam ex Zimmermanni editione dedimus, est Valesii, in qua acrosti-

51) Quadratum planum (Quadratzahl) fit ex reductione numeri in se, ut ter tria, i. e. novem. Quod si rursus in primum numerum, quem radicem hodie vocant, ducitur, existit quadratum solidum, ter novem i. e. viginti septem (Kubikzahl). Nomen habet, quia in omnes tres partes, longitudinem, latitudinem et altitudinem, non in duas tantum, extensum est. Sic fit aliquid solidum.

chis latine est reddita. Eadem reddita reperitur in latina interpretatione Joannis Portesii, quam invenire potes in editione latina Eusebii Basileensi 1579. pag. 926. 927. Acrostichis utriusque est haec: Jesus Christus, dei filius, servator, crux. Servatius autem Gallaeus, qui Sibyllina oracula commentariis diversorum illustrata edidit, in iis, quae in veteribus membranis Joann. Nicotii exhibita et Bedae a nonnullis adscripta editioni suae praeponit pag. 7. 8., eandem translationem habet, quam Augustino debemus, nonnullis tamen verbis mutatam, in qua quidem acrostichis nulla est, sed idem Gallaeus libro VIII. pag. 723. sqq., ubi graecum oraculum exhibet, etiam latinam interpretationem subscripsit, quae acrostichidem ita habet: Jesus Chreistus, dei filius, servator. Cruces. Quibus tribus interpretationibus vix aliquid commune est, omnia fere in iis sunt diversa. Valesii vero et Portesii translatio tantum versus reddit ab Eusebio propositos, ergo triginta quatuor, sed Gallaei multo plures. Quod omnibus molestiam fecisse videtur, erat ultima litera crucis, X, quam postremo versu scribendo: Xhristus pro: Christus a Valesio adduci non probandum est. Magis ingenioso subsidio usus est Portesius, qui ultimum versum ita redditum exhibuit:

Xenophilus nostra caussa rex ultima passus.

Primum quidem vocabulum in glossariis non reperi, sed linguae naturae accommodate compositum, graeco *σωτήρ* non male respondet, et aptam notionem hanc habet adjunctam, quod Jesus peregrinorum amicus fuit, non tantum civium suorum. Etiam apud Gallaeum animadvertere licet, vocabulum crucis h. l. crucem fuisse interpreti. Nam quod crux scribit, id plane inauditum, quamquam non omnino falsum est. Deinde etiam hac voce ita scripta una litera accessit, ita ut, quum latina verba: Jesus Chreistus dei filius servator crux, habeant triginta quinque literas, triginta sex factae sint. Quaeret igitur quispiam, unde Gallaeus ultimum, qui primam literam S habet, versum sumserit, qui ita graece legitur:

ὃν Μωϋσῆς ἐτύπωσε, προτεινας ὀλένας ἀγνάς,

et redditus est:

Sincera hunc Moses expressit brachia tendens.

Responsio in promptu est. Gallaeus enim multa Sibyllae vel Sibyllarum oracula octo libris pervulgavit, quorum postremus oraculum, quod hic commentati sumus, reddit, sed ita cum multis aliis cohaerens, ut versus circiter

ducenti quinquaginta eos, quos noster codex habet, sequantur. Ex his igitur ad vocem *crucis* supplendam primum repetiit.

Sed his missis nobis accedendum est ad id, quod hujus libelli evulgandi occasionem praebuit. Indicenda nobis sunt solennia Rudolpho Ferdinando Libero Baroni a Sylverstain et Pilnickau sacra, cujus beneficia nostro Gymnasio exhibita licet verbis satis laudari et praedicari non possint, memoriam tamen crastino die quatuor oratiunculis patrio sermone habendis pie celebraturi sumus.

Primum ipsi dicemus de animorum immortalitate (Von der Unsterblichkeit der Seelen). Sequentur nos tres juvenes participes beneficii Sylverstainiani,

Carolus Ludovicus Fridericus Kreis, Sprottaviensis, primae classis civis, dicturus de fructibus et damnis Germaniae ex bello per triginta annos gesto exortis (Von den Folgen des dreissigjährigen Krieges für Deutschland),

Joannes Reinholdus Conrad, Gorlicensis, secundae classis discipulus, ejusdem belli primarium heroem Gustavum Adolphum regem Sueciae descripturus (Schilderung des Charakters des Königs von Schweden Gustav Adolph), denique

Ernestus Paulus Reinholdus Mende, Pribusio-Saganus, eidem classi adscriptus, demonstraturus, quantum sit pretium cultus hominum externi (Ueber den Werth der äussern Bildung).

Faulores nostri Gymnasii, ut solennia praesentes augere et ita manibus viri benefici nobiscum gratias agere velint, observantissime invitamus.

P. P. die XXVII. Maji MDCCLII.

ducenti quinquaginta
ad vocem cruce sup

Sed his missis
occasionem prae-buit
Libero Baroni a
Gymnasio exhibita
moriā tamen cras
celebraturi sumus.

Primum ipsi di
lichkeit der Seelen).
stainiani,

Carolus Lu
classis civis, dictur
per triginta ann
Krieges für Deutsch

Joannes Rei
pulus, ejusdem bo
gem Sueciae desc
den Gustav Adolph)

Ernestus Pa
classi adscriptus, de
num externi (Ueb

Fautores nostr
bus viri benefici nobi

P. P. die X

© The Tiffen Company, 2007

TIFFEN® Gray Scale



ar. Ex his igitur

as libelli evulgandi
ho Ferdinando
us beneficia nostro
non possint, me-
mone habendis pie

(Von der Unsterb-
s beneficii Sylver-

taviensis, primae
niae ex bello
es dreissigjährigen

adae classis disci-
Adolphum re-
königs von Schwe-

-Saganus, eidem
cultus homi-

ere et ita mani-
ne invitamus.